



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

Seculum XIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

à Moguntinis inter publicos plausus in sedem suam reductus ad annum 1200. mirè profuit Ecclesiæ & Imperio, nimirum & à Pontifice & à Cæsare consiliis atque negotiis publicis crebrò adhibitus, legationes suscepit in Asiam ad Leonem Armenia Regem, & in Hungariam ad Emericum simulque Andream regios fratres de sceptro & corona dimicantes. His verò amicitia & fraternæ concordia vinculo denuo conjunctis, dum rediit in Germaniam, Passavij lethali morbo succubuit, eodem nimirum anno 1200. postquam ab exordio sui Electoratûs, aut veriùs à morte Arnoldi an. 4. inde verò pulsus & restitutus annis 20. sedit unà cum Pontificibus Alexandro III. Lucio III. Urbano III. Gregorio VIII. Clemente III. & Coelestino III. *Vide de hoc & omnibus aliis seculorum horum Electoribus Kranzium, Trithemium, Serarium, & authores ab horum ultimo cit.*

## S E C U L U M XIII.

### XXXI. CHRISTIANVSI, ILECTOR XV.

**P**ulso è sede sua Conrado Christianus I. in ejusdem locum imperante Friderico Cæsare intrusus annis 16. Moguntia præfuit, & profuit, gratiâ Imperatoris valens plurimum, imò donis & dotibus suis propriis, quibus ars & natura ritè Electorem instruxerunt; quinque enim aut sex linguarum peritiâ imbutus, & in aula Cæsaris corpore animoque magnus, dixit & scripsit multa in legationibus publicis, mirantibus Electoris Christiani eloquentiam & amplissimam rerum notitiam Germanis, Latinis, Græcis, Italis, Gallis, Belgis &c. Duo rerum capita censoriâ virgulâ perstringere non sunt veriti authores in hoc Archipræsule, nimirum quòd relicto Alexandro Pontifice, & fugato Conrado Moguntino Electore res multas aggressus fuerit longè audaciùs: quam prudentiùs! quòd item imperij res pluris æstimaverit, quàm Ecclesiæ, haud veritus in Italiam copias Cæsareas ducere, & Ducis instar



instar dimicare. Mortem igitur veriùs inter milites in Italia, quàm inter Sacerdotes in Germania oppetiit an. 1280. postquam an. 13 potius inter Cæsaris negotia, quàm sacra pasqua consumpsit, in-  
vitis maximè Pontificibus Alexandro III. & Successoribus.

### XXXII. SIGFRIDVS II. ELECTOR XVI.

**S**igfridum II. ex Eppensteiniorem perillustri familia prognatum, pars altera Canonicorum Bingæ elegit, pars altera Lupoldum Wormatiensem Episcopum postulavit, & Philippus Cæsar exoptavit Moguntia Archipræsulem: unde nata discordia & bella; Sigfridum namque Innocentius III. Pontifex, Lupoldum verò Philippus Imperator propugnavit in pugnis, quin in velitationibus socium ferè perpetuum. Percussio demum año 1208. Philippo, Otto Imperator Lupoldum procul aris & focis Moguntinis removit exulem, ut rem gratam præstaret Pontifici. Profuit exulâsse Lupoldo: post edita enim pœnitentiæ signa, & exauthoratum Ottonem Cæsarem, Wormatiensi Ecclesiæ est restitutus, fortè ut pœnitentiam probè cœptam prosequeretur, horâ mortis exoptatissimam, quam jam anno 1212. obiit. Annis 13. superavit Lupoldum Sigfridus, qui Moguntinis præcipuè gratissimus, multa & magna gessit, sua autoritate haud mediocri, & Pontificis suprema potestate suffultus. Dolendum sanè, quòd Authores seculi XIII. multorum gesta summatim celebrent, nullum tamen facinus, laudandum etiam posteris, descripserint. Talis nimirum mos erat istius & aliorum seculorum: pugnare gladio plùs justo in deliciis erat; certare calamo curas fuit inter postremas. Annus vitæ ultimus Sigfridi inter años Christi numerabatur 1225. Pontifices imperârunt Innocentius III. & Honorius III.



## XXXIII. SIGFRIDVS ELECTOR XVII.

**S**igfridus III. Sigfridi II. ex fratre nepos difficillima tulit tempora, Friderico II. Imperatore Ecclesiam simul & Imperium turmīs & turbīs implente. Electoratus sui initio adeò celebrem instituit Moguntiaē Synodum, ut eandem multi *Synodum Germanicam* per Antonomafiam appellārint. Multa in eadem sunt acta, & arbitris multis transacta in emolumentum Ecclesiae simul & Reipublicae Politicae. Erat nimirum Sigfridus Imperatoris Friderici primò in bellis socius, sed eodem Imperatore Romano Pontifici obedientiam negante, & transversum omnia demum agente adversarius, promulgavit anathematis sententiam per Germaniam, multorum ab hoc odiis expositus, & Germanorum simulque Itolorum tumultibus implicitus, quibus tamen omnibus insuper habitis, Henricum Thuringiae Ducem unà cum Electoribus reliquis elegit Caesarem. Aequalem dein honorem exhibuerunt Wilhelmo Hollandiae Duci, Henrico mortuo subrogantes Successorem. D. Elisabetham Thuringiae Principem honori publico amplius commendaturus, ejusdem reliquias altiore aedis sacrae in locum Marpurgi extulit, miraculis non paucis Dei annutum attestantibus, quibus permotus Gregorius IX. Rom. Pont. eandem Beatorum numero adscripsit. Annis 24. Ecclesiae & Imperio prodesse, & Elector & Archiepiscopus studuit, multis factis, multis votis & lacrymis multis; quare honorificis statuis post mortem est honoratus & exornatus, quae solent esse inter Romanos & Germanos vitae & mortis ritè peractae viva testimonia. Privilegium à Bohemiae Regibus impetrasse scribitur, quo inter Bohemos coronae regiae impositio non nisi Moguntinis Archiepiscopis fuit asserta in annos perpetuos, cui tamen privilegio sua sponte nuntium remisisse Successores vel verè creduntur, vel finguntur. Sedit annis 24. vitâ functus 1249. Romae imperarunt Gregorius IX. Caelestinus IV. Innocentius IV.

XXXIV.



## XXXIV. CHRISTIANVS II. ELECTOR XVIII.

**C**Um bellantibus bellandum est, aut succumbendum. Ita clamârunt, qui hoc seculo in Germania pugnârunt, in partes varias divisi Principes Imperij. Christianus II. in Ecclesia Moguntina à teneris annis enutritus, & post varias suffragiorum vicissitudines Archiepiscopus electus, non nisi annis 3. pedum Moguntinum conservavit: cùm enim copias Wilhelmo Imperatori mittere vel tardaret, vel penitùs recusaret armorum & omnis strepitùs pertæsus Elector, ipsius unaque multorum Virorum Principum incurrit odium tantum, ut multis criminationibus denigratum, & tanquam arduis muneribus minùsabilem etiam Hugo Pontificius Legatus ab officio suo & dignitate removendum judicaverit an. 1251. cùm Romanus Pontifex esset Innocentius IV. Cæterùm credunt Moguntini, Christianum hunc fuisse illum Authorem, qui rei Historicæ apprimè peritus, elucubravat depositionem Henrici IV. Imperatoris; item gesta Arnoldi Episcopi Moguntini, aliorumque Antecessorum suorum.

## XXXV. GERARDVS I. ELECTOR XIX.

**G**erardus I. Comes, passim Waldgravius appellatus, & si ritè scripsit Bruschius, inter D. Francisci filios virtutibus & literis instructus, tametsi annis fortassis & meritis non admodum valeret, tamen mirabili fato in sublimem Moguntia Sedem evectus, gratissimum sese exhibuit Ebredunensi Archiepiscopo, obscuris artibus Gerardum promoventi, & Christianum II. removenti. An. 1256. Friderico Comiti de Eberstein adversus Albertum M. Brunsvicensium Ducem suum & Dominum pugnantem suppetias allaturus, in prælio captus, & annua captivitate detentus cum Phrygibus sapuit, haud facilè restituendus, nisi Richardus Anglorum Rex, cuius partes sequi decreverat, gravissimâ auri



summâ redemisset. Fridericus etiam inter captivos ductus, in præaltam furcam est actus, nova tormenti methodo: alligatis namque supremæ trabi pedibus, corpore inverso pependit longo tempore, ut spectatores & sceleris conscii multi discerent Principi suo promissam fidem servare. Annis 9. tempore interregni Gerardus fuit Elector, mortuus an. 1260. Vixit sub Innocentio IV. & Alexandro IV.

### XXXVI. WERNERVS ELECTOR XX.

**W**ernerus ex illustrissima Comitum Falckensteiniorum familia natus, post electionem sui Canonicam Romam petiit, coram rogaturus Pontificem Alexandrum IV. Archiepiscopale pallium. In itinere per Helvetiæ montes & valles viæ socium nactus est Comitem Rudolphum Habsburgicum, cuius jam tum virtutes multas maximi fecit, & solio Imperij dignas iudicavit, prudentissimus & arbiter & augur: elapsis namque eo ex tempore anis 12. cum Supremi in Romano Imperio convenère, Principes Cæsarem electuri, Wernerus suo calculo Rudolphum nominavit perpotenti exemplo ad imitationem sui trahens Electores alios, præsertim verò Ludovicum Severum, cuius auctoritas tum temporis plurimum eminuit. Post publicas Ecclesiæ Romanæ & Imperij curas, curam Archiepiscopatus sui in se suscepit singularem, dum an. 1261. provinciam Moguntiam celebravit, periculosis temporibus succurrendum, & præveniendum ratus. Ditionibus Electoralibus inhiantes Comitem Sponhemiensem Joannem, & Philippum Hohenfelsium armis partim sacris, partim profanis profligavit, prioris nimirum copias superando, posterioris verò sacris interdicendo. Sententiam æquissimam, licet severam, tulit in Hebræos quoque, qua sublatis scelerum auctoribus aditum in urbem Moguntiam eis deinceps constanter negandum esse statuit, triplicem maximè ob causam & culpam

pam



pam, quarum primam comiserunt abutendo per sumum nefas dape  
 Evcharistica clam ablata: alteram fundendo Christianorum par-  
 volorum sanguinem, & praestigiis adhibendo: tertiam denique  
 puteos inficiendo. An. Salutis 1284. multorum lacrymis paren-  
 tatum est, postquam 24. annis Moguntiam Archipraesul illustra-  
 vit sub novem Pontificibus Romanis, nimirum Alexandro IV.  
 Urbano IV. Clemente IV. Gregorio X. Innocentio V. Hadria-  
 no V. Joanne XIX. Nicolao III. & Martino II. Sepulto Wer-  
 nero Canonicorum partes geminae paribus suffragiis in Electorem  
 suum delegerunt Gerardum Comitem Eppensteinium Treviren-  
 sem Archidiaconum, & Petrum Reichensteinium Basileensem Ca-  
 nonicum, majoris Ecclesiae inter Moguntinos Praepositum, quon-  
 dam Rudolphi Habsburgici Medicum. Annis tribus discordia  
 pertinax Sedem reliquit viduam: denique inter duos litigantes gau-  
 dere tertium jussit Honorius IV. Pontifex, ea tamen moderatione,  
 ut Petrum Reichensteinium Basileensibus Episcopum dederit,  
 Gerharo autem spem promotionis fecerit maximam. Ca-  
 terum inter duos litigantes ille tertius fuit

### XXXVII. HENRICVS II. ELECTOR XXI.

**H**enricus II. inter Episcopos Basileenses hujus nominis IV.  
 Isenae in Suevia ex parentibus tenuis fortunae natus: pra-  
 claris tamen animi dotibus & virtutibus viam ad lauros  
 & mitras sternere sibi didicit: inter Monachos enim D. Francisci  
 cooptatus, Doctoris Theologiae insignia capeffivit, discipulorum  
 haud paucorum Magister, & paulo post Lucernae Basileaeque Gu-  
 ardianus, ut vocant, ubi simul Rudolpho Comiti, & mox Impe-  
 ratori a sacris confessionibus, consiliis & legationibus fuit. An.  
 1274. inter dissidentes Canonicos, nemine tamen dissidente lectus  
 Episcopus, munus suum obivit magno totius Dioecesis emolumen-  
 to. An. 1285. Legatum mittere Romam constituit ad Hono-



rium IV. Pontificem Imperator Rudolphus. Committitur Henrico legationis munus & gravissimarum juxta tractandarum cum Pontifice rerum. Hujus porro legationis optatissimus Pontifici fuit successus, quando Rudolphus sacrae Sedi confirmavit Bononiam, Romaniolam, & simul Exarchatu Ravennate cessit. Officio legati praeclare functus Henricus, Pontificis summam erga se gratiam ita promeritus est, ut pinguem bene navatae operae remunerationem exspectare posset; & bene expectasse eventus probavit: creatus enim ob id maxime Elector Moguntinus, tribus annis placuit multis, & multis displicuit; hos inter Canonici ægro animo sustinuerunt Electorem & Archipræsulem obscuro loco natum, & invitis obtrusum. Annus vitae ultimus erat Henrico 1288. Ferè cum Honorio IV. in Sedem promotus & morte remotus.

### XXXVIII. GERARDVS II. ELECTOR XXII.

**G**erardus II. Comes Eppensteininus jam non unius tantum partis, sed ferè omnium calculis electus Archipræsul, audita sui electione ac promulgatione lætus, contendit Romam quamprimum, ubi à Nicolao IV. Pontifice Archiepiscopus consecratus, & pallio est exornatus. In Germaniam redux Hanoviae Comitem procacius multa dicentem & facientem coercuit, simulque Fuldenses subditos contra Principem suum seditiosos in ordinem redegit. Anno 1291. Rudolpho Cæsari justis persolutis Adolphum Nassovium bellica laude dotibusque aliis multis insignem Ducem ad Imperatoriam dignitatem pene solus evexit, eundemque ad Imperij coronam suscipiendam Aquisgranum deduxit. At qui tantopere placuit Imperator, paulò post maximo pere Gerardo displicuit: Adolphum enim fortunam suam non capientem, & in scelera effusum denique, idem qui creandi, fuit etiam author exauthorandi Cæsaris, vocato in Imperij thronum Al-

berto



berto Habspurgico Rudolphi filio, cuius virtutem magni aestimare, sed & potentiam tandem timere didicit, jam non imperare, sed obedire Imperatori doctus, praesertim ubi Bingio à Caesareanis occupato circumfusas Moguntiae copias aspexit. An. 1292. Aschaffenburgi Synodum celebravit, cui aderant Episcopi Bambergensis, Herbipolensis, Augustanus, Eustadianus, Hildesimensis, Wormatiensis, Spirensis aliique: ejusdem Synodi acta in compendium conscripta legerunt & laudarunt plurimi. An. 1298. Pragae Wenceslao Regi & hujus regiae conjugii Jutae imposuit coronam: Insulam vero suam amisit morte ereptam an. 1304. annorum 16. Praesul. Sub Pontificibus Nicolao IV. Coelestino V. Bonifacio VIII.

## S E C U L U M XIV.

### XXXIX. PETRVS ELECTOR XXIII.

**P**etrus in Archiepiscopatu Trevirensi ex pauperibus natus parentibus, in juventute medicinae, & una scientiis pluribus strenuam navavit operam, Theologiae etiam non parum peritus. Henrico Luelburgico futuro Caesari exoptatus Medicus, in rebus cunctis suam plurimum commendavit industriam, arcanorum ferè omnium in aula arbiter. Igitur Henricus ut Balduinum fratrem suum 18. annorum juvenem in Moguntiae Sedem Archiepiscopalem promoveret, misit Petrum Legatum ad Clementem V. Pontificem in Gallia tum commorantem. Praeter alia in Balduino displicuit Clementi juvenilis aetas. Re itaque infecta dum Medicus simulque Legatus sese accingit ad reditum, subito Pontifex morbo corripitur; quem cum Petrus porrectis pharmacis tridui spatio dispulisset, in grati animi testimonium à Clemente nominatus & confirmatus est Moguntinus Archiepiscopus his dictis: *Cum noveris tam perite curare corpora, noveris etiam deinceps curare animas.* Idem hic Petrus vel author, vel adjutor fuit maximus,

CUR